

adversus Astrologos conscriptis: Franciscus Picus eius nepos in libris de Prænozione: Antonius Bernardus Mirandulanus Episcopus Casertanus lib. 22. 27. & 28. Monomachia: Michael Medina lib. 2. de reſta in Deum fide, cap. 1. & Iulius Syrenius in libris de Fato.

## DE PRÆSTANTIA ASTRONOMIÆ.

**C V M** ex duobus nobilitas alicuius scientiæ, auctore Aristotele, sumi debeat, nempe ex præstantia, ubi est, de quo agit, & ex certitudine demonstrationum, quibus ea, que considerat, confirmat, ( *Aut enim, eam scientiam esse præstantiorem, nobilioremque, que vel circa res præstantiores versatur, vel que certior est,* ) quanta sit Astronomiæ dignitas, ac excellentia, hæud obscure ex utroque capite cognosci potest.

Si autemque subiectum, seu materiam Astronomiæ spectemus, supremum ei propemodum locum inter reliquas omnes disciplinas humanas, seu lumine naturali acquisitas, concedendum esse, fateri necesse est. Agis enim hæc scientia de corporibus celestibus, que omnium nobilissima sunt, multas ob causas. **P R I M O** quidem, quoniam, secundum philosophos sunt ingenerabilia, ac incorruptibilia, omnisque alterationis corruptorisque experta, omni denique motu substantiam eorum aliquo modo variare immutabilitatem, cuiusmodi non sunt reliqua corpora, de quibus Philosophus naturalis disputat.

Nam licet elementa, ut vult Aristoteles cum philosophis, secundum se tota non possint generari aut corrumpi, secundum tamen partes eorum continua sunt generationi, corruptionique obnoxia. **S E C U N D O**, quia corpora celestia sunt causa omnium horum inferiorum, ut placet Arist. 1. Meteor. ubi ait, Necesse esse mundum inferiorem superioribus laesionibus continuari, ut omnis inde virtus derinetur. Item 8. Phys. assertis, omnia produci mediante motu cæli, ob idque motum cælestem, vitam omnium entium nuncupare non dubitavit. Rursum 2. de celo affirmat, cælum in hæc inferiora agere mediante lumine, & motu. **P o s t r e m o** 2. de Gener. & corrup. restatur, propter motum Solis, & aliorum planetarum in circulo obliquo, id est, in Zodiaco, fieri generationes, & corruptiones in hæc inferioribus; Idemque plerisque alijs in locis affirmat, cui ferè totus philosophorum cætus assensuatur. **T E R T I O**, quoniam corpora celestia sunt propinquiora nobilissimo ac primo enti, puta Deo glorioso; Immo secundum Averroem corpus cælestis est mediator, ac ligamentum superiorum cum inferioribus, & locus æternorum, ac divinarum. Omnes etenim philosophi, ac nationes, etiam quantumvis barbaræ, in celo Deum tanquam in sede collocant propria.

Quamvis enim Deus non huic vel illi loco sit alligatus, sed ubiuis locorum (quod nullis ab eo convenit rebus) existat; ponitur tamen in celo, tanquam in nobiliori mundi parte, ubi maxime suam omnipotentiam, & bonitatem manifestat, ut Theologi asserunt.

**Q U A R T O**, ac postremo, quia inter alia omnia corpora nobilissimum locum, supremum videlicet, possident celestia corpora; Quæ autem corpora sunt superiora, eo etiã nobiliora existimari debent, ut philosophi omnes fatentur. Ut enim terra omnium elementorum infimum est in sum & loco; ita quoque in dignitate postremum existit: Cuius nobilitate succedit aqua, quia, superiorem occupat locum; Deinde sequitur aer, quoniam sua lenitate aquam transcendit: Ultima ignis principatum inter omnia elementa obtinet, cum sit supra omnia collocatus. Accedit etiam ad dignitatem corporum celestium, quod habet accidentia nobilissima, nimirum motum, & figuram circularem, ut suo loco ostendemus, tamen, & alia huiusmodi: ut non immerito Aristoteles hæc cor-

ad præstantiam dignitatem

ad præstantiam dignitatem **Q U O** C si motus demonstrandi, quo visitur Astronomia, consideremus, nemo nobilitate

gibus